

quia cum cætera puichrè procedunt, semper quod in ultimo loco ponitur expostulat, & dicit hoc fieri contra aliquam positionum, & vult ipsi primo præponi.

X X.

Perplexitas autem horum casum populariter facillimè ostendi potest, quòd ibi rerum concurrentium nullum poni possit loco I. nullum loco III. seu ultimo, quia quolibet assumto aliquod datur prius & posterius. Id quod inter res finitas evenire non potest nisi in situ in se redeunte, seu circulari. Sed est contra naturam ordinis, in quò necessario prius & posterius datur. In Circulo autem principium & finis est *deus* tantum non natura, cum tamen in jure nihil ex mero arbitrio præponi vel postponi debeat. Aliud est, quando res ipsa certum principium inchoandi vel finiendi suppeditat. Ibi enim ista perplexitas cessat. Quale est v.g. si persona A, sciens personam B. se posteriorem, esse priorem persona C. nihilo minus cum persona C. paciscatur, quod ea posterior esse velit, eo ipso fiet posterior persona B, ex ipso enim pacto personæ A, priori juri derogante, habemus incipiendi fundamentum. Unde Creditor hypothecarius in pignus tertii creditoris consentiens, etiam secundo posterior fit, & transit in tertii locum, ut habet *Dn. Carpzovius præ memoria, fax illustris Saxonici juris paucis ab hinc septimanis Lipsiæ cum summo omnium dolore extincta, ad p. 1. const. Elect. 28, d. 131. cujus ego Viri auctoritate tanto libentius utor, quanto & praxi propior est, & plus habet in foro Saxonico Electorali auctoritatis.* Similiter si Princeps A rejecerit post C, rejecisse etiam intelligetur post B. per *c. auctoritate Martini 7. de concess. præb. in 6.* Nam voluntas subditi in voluntate Principis continetur, *Th. Hobbes Elementis de Cive c. 8. n. 67.* Et Similiter datur in hoc principium numerandi perinde ac si ipse subditus sit pactus esset. Aliud est si Princeps

C

ceps